

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epigrammata Philippi Melanthonis selectiora

Melanchthon, Philipp

Francoforti ad Moenum, 1583

VD16 M 3181

Generosae indolis et spei praeclarae adolescenti Ottoni, nobilissimi viri
Georgii Rosenkrantzii, Rosenholmiae domini, senatoris regni Daniae, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-288126](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-288126)

GENEROSAE INDO-
 LIS ET SPEI PRAECLARAE
 ADOLESCENTI OTTONI, NOBILISSI-
 mi viri GEORGII ROSENKRANTZII, Rosen-
 holmiæ domini, Senatoris regni Daniæ, & con-
 siliarij regij amplissimi, FILIO S.



NEQUE monere ego te, præstanti ingenio adolescen-
 tem, neque confirmare debeo, qui vltro officium fa-
 cis: docere verò nullo modo, videntem præceptorib.
 literatissimis: hortari tamen & velut è longinquo
 acclamare acriter currenti, id verò fortasse licebit. Dabis igitur
 hanc

EPISTOLA

hanc mihi veniam, Otto suauissime, ut cur te potissimum hic alloquar, & quæ consilij mei ratio, benignus libensq; audias. Multos iam annos amplissima fuit in gente nostra familie vestra dignitas & decus: ex qua & olim multi, & nunc, prodire præstantissimi viri, belli & pacis tempore, Regibus & patriæ toti carissimi: quorum opera, ut Comici verbis utar, in bello, in otio, in negotio, suo quisq; tempore usus est sine superbia. Sed hæc apud nostros, omnibus in medio sunt: & ego verecundia prohibeor, de tuis ad te ipsum loqui, ne gentis vestre historiam texere, auribusq; illa tuis dare voluisse, videri possim. Saltem igitur ad patrem ipsum tuum (hunc enim apud te, tum tua ipsius, tum mea, tum Reipublica causa, præterire nullo modo debeo) oculos atque animum conuertas. Nosti ipse optimè, & ego id quod auditione iam olim acceperam, postea diuersis temporibus, cum ita res mea ferrent, in aliquot dierum cum ipso congressu & tanquam schola, coram didici: quàm & temporis sit parcus dispensator: quàm multum grauissimis studijs: quàm nihil voluptatibus, ijs præsertim quas vulgus hoc nomine censet, quæ veræ non sunt, tribuat: quàm ipse voluntate sua & iudicio, disciplinarum optimarum studijs addictus sit, penèq; affixus, non minus ac nostrum aliquis, qui in libris abditi nullamq; Reipub. partem attingentes, studia hæc necessitate quadam vitæ simul toleranda & muneris tuendi, colimus: adeoq; ut nisi legendo cotidie, meditandog; quamplurimum temporis consumat, non se viuere suauiter, imò prorsus non se viuere, existimet. Declarauit sanè iam sepius, in priuatis & publicis actionibus, quàm ipse pro singulari perpetuog; suo in Rempubl. studio, non inuitus in hoc desudarit, ut patriæ nostræ res memorabiles, & Danicæ gentis antiquitates, inde usq; ab vltima hominum memoria, ex annalibus priscis, ex archiuis & diplomatis regijs, è gentium exterarum com-
mer-

DEDICATORIA.

mercijs, fœderibus, monumentis vetustis, maiorum relationibus, doctis deniq; coniecturis, hinc inde sagaci ingenio & studio indefesso erutas, veteres & nouas, in promptu semper numeratq; habeat. Neg, adeo iniuria cum plurimis conqueritur, res gestas historiãq; perpetuam gentis nostræ, sub posterioribus aliquot bene multis Regibus, in isto præsertim literis bonis & ingenijs felicibus affluente seculo, iam diu desiderari: atq; ea quæ proximorum regum, vt dixi, quorum atati suppare ipsi ferè sumus, temporibus contigerunt, nullis propemodum monumentis publicis consignata: sed in paucorum hominum memoria & commentarijs priuatis conseruari hæcenus & delitescere. Quo maioris diligentia & expectætionis opus fuerit, eam historiæ partem, in qua popularis noster Saxo Grammaticus ante annos plus minus quadringentos desiit, continuatam pertexere, cumq; dignitate ad posteros propagare. Ista igitur domestica paternaq; diligentia & virtutis exempla tam illustria, accendere tibi animum debent, in ætate hac florente, ad studiorum præclarissimorum, omnisq; humanitatis amorem, & Musas tanto ardore complectendas, quanto iam diu patrem vides: quantoq; opus esse existimabis, gentilitio nobilitatis splendori literis & virtute exornando.

Sunt verò deinde & alia maiora, quæ vir deinceps factus, in viro, & quidem ad senectutis limen iam accedente imitabile. Atqui ex patre tuo, aut ex nullo discas, quantum decus sit, in omni actione et officio moderationem æquabilitatemq; eam tueri, in qua summa seueritas pari humanitatis temperamento condita sit. Animaduertes etiam olim, quando & ipse tu ex vmbra studiũ exercitatione (in qua nunc magna cum laude profectusq; versaris) in lucem, puluerem, atque aciem forensẽ educe-

educeris: quàm parens tuus hæcenus multis in difficillimis negotijs, & reip. temporibus, in iudicijs, in legationibus, in provinciæ commissæ administratione, personam sustinuerit. gravissimam consiliarij sapientis, arbitri integri & casti, iudicis religiosi, legati prudentis, magistratus vigilantis & æqui: quàmque fuerit semper φιλοκαταλὺς & ὅμως καὶ φιλόπατρις: & de quo non vulgò tantum, sed etiam inter sui ordinis homines viros clarissimos, ea sit integritatis & iusticiæ explorata opinio, ut pro Catone nostri temporis haberi possit, utq. non benevolentia tantum, sed & admiratione dignus apud omnes censeatur.

Inquirendum itaq. tibi porro fuerit, quibus ille gradibus ad hoc amplissimum dignitatis fastigium & virtutis spectatæ decus conscenderit: quo imitari & assequi possis felicitus. Nempe ergo non satis ille putavit, illustri apud suos loco natum esse, aut imaginibus maiorum & opibus indormientem excellere: sed maturè aspera illa, at laudabili ad virtutem ingressus via, inde à teneris voluntate sua, optimis studijs se totum devovens, animum doctrinæ eruditæ copia excoluit, naturæq. bonitatem diligentia incredibili semperq. sibi instante confirmavit. In primis itaq. scientissimos & prudentissimos quosq. virinsque militia, togatæ & bellicæ magistros, quo melior & utilior ad suos rediret civis, adiit. Magnum etiam illum Lutherum, & incomparabilem omniq. laude maiorem Philippum viuos audijt, et coluit: mortuos etiam in sanctissimis scriptis loquentes vnicè complectitur, & cotidie ferè inter istos Theologia sese lacerantis & collidentis fragores, audit, obseruatq. Cum verò ab aulis armisq. abhorreere equestris ordinis hominem nefas duceret, illustrissimæ fortitudinis heroi, Mauricio Electori nomen dedit, quando huius laudatissimis auspicijs res maxima per Germaniam in imperij & religionis negotio geri cæpta sunt. Patriæ

DEDICATORIA.

randem se sua sistens, ingenij gravitatem amabili moderatione,
 & confirmata iam multo usu prudentia, ita temperavit, eumq;
 se domi & foris, in maximis & minimis praebeuit, ut nuptia aut
 fidem, aut diligentiam, aut animum praesentem desiderari pate-
 retur. Per omnes itaq; honorum gradus in summum togata mi-
 litia ordinem euectus, serenissimo Regi FRIDERICO II. ve-
 luti exemplum & imago antiquitatis, in precio est, & iam mul-
 tos annos à consiliis intimis. Ad eum modum pro patriae com-
 modis excubando, reipublicae consulendo, summos infimosq; pari
 iure copulando, & quod omnium instar est, vera religiosi animi
 pietate Deum aeternum fiducia Filij mediatoris colendo, vita &
 dignitatis aequabilem tenorem in hanc usq; senectam conserva-
 vit. Nihilominus tamen casus humanos cogitans, & incertos
 euentus & aetudinis, & naturae communis fragilitatem, utpo-
 te qui breui temporis intervallo duos amiserit grandiores senatu
 fratres, Holgerum & Ericum, principes & ipsos in Republica
 viros: totum iam se in morte migrationeq; meditanda occu-
 patum esse ostendit. Exhorrescant alij & trepident ad mortis
 mentionem, quamq; possint longissime cogitationem à morien-
 di necessitate abducant, ij praesertim qui vita huius deliciis in-
 escati, aut fortuna vbi paulo blandiori, firmum aliquid & diu-
 turnum in rebus humanis somniant: at tuus parens in re quam-
 libet florente, studio sibi voluptatiq; habet, tñ & dāvātiq; artiq;
 bene moriendi quā plurimū impendere meditationis, & coti-
 die quasi vasis conclamatis, sarcinulas ad proficiscendum com-
 ponere. Ideo ad sepulcrum familiare vestrum, prope Rosenhol-
 mianum suum, frequenter & obambulat, & in exedra ista sua
 libenter se sedit: non secus ac olim Isaacus in agrum sub vesperam
 exire solitus erat ἀδελφῶν, seu potius ad meditandum et oran-
 dum. Ideo locū istum Bibliotheca exquisita, signis, epigramatis,
 pictu-

EPISTOLA

picturis, & commonefactionibus grauissimis, veluti testamen-
 to ad pietatis iusticiæq. studium posteros, etiam defunctus, obie-
 staturus exornauit. Ita nimirum certus ipse defelici ex hac vi-
 ta in meliorem transitu, ut presentem hanc piè contemnere, cœ-
 lestem illam, & beatum electorum Dei *τοῦ αἰῶνος* ardenter expe-
 tere, non simulate videatur: & liberis etiam suis sicuti viuendi,
 ita et bene viuendi, benèq. moriendi autor esse vnice cupiat. Hec
 illa vna est, qua ad solidam gloriam & gaudium itur via, siue
 ea facilis, siue difficilis sit: qui diuersam ingreditur, fortunam,
 ut fertur, inuocet.

Sed dum ponere tibi ante oculos conor, quibus initijs ac fun-
 damentis hæ tanta summis in rebus laudes patri tuo excitatae
 sunt: videri fortasse aliquibus possum nimium multa dixisse: at
 ipse mihi nequaquam satisfecisse, nedum patriæ nostræ de tanto
 bono gratulari satis potuisse, videor. Virtutem sanè laudari bo-
 ni omnes libentissimè, nemo nisi malus, audiit inuitus: salutare
 autem moderatòsq. gubernatores à Deo donari, grata mente a-
 gnoscere debemus, & precibus insuper assiduè ipsi commendare,
 utpote qui organa sunt, & tanquam manus Dei, quibus generi
 humano cumulatisimè benefacit.

Intelligis quàm iustam habeas gaudendi tecum in sinu, quod
 aiunt, & Deo eterno toto pectore gratias agendi materiam: quo
 magis omniq. ad hoc contentione tibi enitendum vides, ut fa-
 milia, in qua à Deo collocatus es, vetusta nobilissimæq. iam ad
 paucos redactæ, dignam te prabeas propria virtute propaginem
 simul & propagatorem: præsertim cum in te, velut *Æneæ* in
 suo *Ascanio*, omnis tuo stet cura parenti. Tui itaq. ipsius inflam-
 mandi causa, & voluntatis meæ atque obseruantie in patrem
 tuum, patronum *Mecænatem*q. meum testificandi, libenter te
 cum studiorum gratia *Rostochij* subsisteres, quando *Academia*

Ger-

DEDICATORIA.

Germania superioris grauter disidijs Theologicis concuteretur, literis meis quoties licuit salutari: & nunc ubi ubi es, acclamatione mea consequi cupio: semper verò te, tuag, studia, quâ non possum corpore, mente sequar. Eadem de causa libellum istum ex Philippicis Epigrammatis concinnatum in tuo nomine apparere, donec melius aliquid parare possem, volui. Ad hoc audendum aggrediendumq, pater ipse tuus occasionem mihi tum praeuit minimè negligendam, quando sermones grauissimos non legum modò & historiarum, omnisq, sapientie succo imbueret. Verum etiam in Poëtarum hortos & viridaria subinde excurrens, epigrammatis veteribus & nouis, ceu flosculis odoratissimis, respergeret. Iniecit tum mihi ea res cogitationem, vt ex editis sanctissimi viri Philippi Melanthonis epigrammatis & aliunde, quàm venustissima, & breuissima quag, ad formam & similitudinem aliquam istorum scriptorum, quae nunc Emblematum titulo à doctis insigniuntur, deligerem, ordine tamen ista aliquo, quag, pueris in pia institutione inculcari omnia aut plerag, possent. Quocirca neq, Epigrammata auctoris omnia, neq, integra semper ascripsimus; quin etiam hinc inde ex carmine epithalamio, aut epitaphio, aut paraphrasi aliqua ipsius prolixiori, ea solummodo decerpimus, quae nostro huic instituto, hoc est, puerorum institutioni seruire poterant: nonnulla etiam ex Poëtis nostri seculi candidioribus & Philippi discipulis aut amicis, maximè Iohanne Stigelio, depromimus: Veniam facti nostri & ab his, & ab ipsius sanctissimis manibus exorantes. Iam & in bonam spem veniebam, neque studijs tuis alienum hoc prorsus accidere posse, neque patri tuo agrè futurum, qui Philippum & coluit vinum, quem & mortuum vt oderit induci non potest, licet aliorum astuta crudelitate, aliorum friuola credulitate, ad hoc iam multi impellantur: si

** fasci-

fasciculum istum ex rosario Philippico contextum, tibi quam ornatissimum, industriorum hominum opera editum curarem.

Non sunt autem hi, Otto amicissime, hominis otio & voluptate diffluentis lusus aut arguta nugæ, & comtula veneres: sed inter studia acerrima, labores docendi scribendiq; assiduos, negotia difficillima, profectiones, certamina, è pectore Deum religiosè colentis expressa suspiria, & ardentissima, & tantum non illita cartis lacrymæ. Rursus autem & hic sunt mentis pia sub mole negotiorum respirantis, seseq; colligentis non lenissima, & in Deo suauissimè acquiescentis & innoxia: dum terras & mortalia omnia quasi è sublimi despiciens, cælo penè se infert, inq; sinu & complexu Filij Dei certissima fiducia se collocat, ut quod de Stephano Philippus sepe in ore habuit, in corde semper ipse habuisse videatur:

Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat.

Caterùm vena Philippi in carmine fundendo (si modò de tanto viro iudicium nobis sumere liceat: quod hac tamen fortassis in parte licebit) talis est, qualis ipsi mens fuit, nimirum pura, simplex, aperta, facilis, unde quaq; pietatem spirans, in qua arrogantia, scurrilitatis, turbidorum affectuū, nigri salis mica nulla. Scire tamen potes etiam me tacente, non ipsum hoc viuum egisse, neque professione aut studio Poëtam fuisse: sed obiter tantum & veluti in transcurso poematia scriptitasse. Tamen quod de Virgilio doctissimo, doctissimus pronūciauit Iulius Scaliger: Quò quisq; doctior est, eò maiore in Virgilij scriptis deprehender eruditionē: id nos non immutatū, sed auctum potius, si de Philippo dixerimus, non errabimus: Quò quisq; est doctior, magisq; pius: eò maiorem in Philippi scri-

DEDICATORIA.

scriptis deprehendet eruditionem simul & pietatem. Quando itaq; doctrina & pietas in hoc viro par fuerit: cum cogitationes illas suas sanctissimas, in numeros coniecisset, non possunt non suauiter piam mentem afficere. Animaduertis quàm ego vellem, si meam iuuentus vocem auditura esset, Philippico nomini amorem & voluntates omnium conciliare: neq; tantum ut micæ istas & ταμίαν arripiat: sed ut omnis etiam doctrina liberalioris initia, maximè verò religionis nostræ fundamenta, ex ipsius scriptis sibi degustanda hauriendaq; esse cogitet. Verùm apud te, tuiq; similes, non multum in isto argumento laborandum mihi esse, sat scio.

Pascas interea hic eadem opera animum & oculos: cumq; istis insuper coniunges ingeniosissimorum nostræ ætatis hominum libellos Epigrammatum, Iconum, *παραδοίων, γνωμῶν*, Apophthegmatum, Emblematum rerum variarum, Alciati, Sambuci, Bezæ, P. Costalij, B. Anuli, Achillis Boethij, Cl. Paradini, Had. Iunij, Conradi Albini, Nic. Reusneri, aliorumq; ut cum à seuerioribus studiis animum remittere voles, aut inter proficiendum, meditandi fallendique temporis pium & utile argumentum arripere: ea tibi sint studio, quæ ultrò oculis & animo, doctrinam aliquam aut virtutis elogium & stimulos ingerant. Concessisti iam in GERMANIÆ superioris ACADEMIAS eruditissimis hominibus liberalissimisq; studijs & exemplis affluentes. Socios habes & æmulos studiorum complures è nobilitate Danica lectissimos iuuenes. A vobis certamen suscipi virtutis, doctrinae, & eloquentiæ, quæ sapientia est exornatrix, quàm vobis ipsis honorificum, quàm parentibus incundum, quàm familijs vestris decorum, quam patriæ denique iuuanda & illustranda accommodum fuerit & fructuo-

EPIST. DEDICATORIA.

fructuosum? Feliciter vale mi optime optatissimeq; Otto, pater-
naq; & auita integritatis & virtutis memor, patri gaudium
maximum, fraterculo Holgero. vinacis & mirisici ingenij puero,
simulq; patruelibus tuis Ottoni Christophoro & Friderico; Hol-
geri filijs, optime indolis & spei adolescentulis, vt exemplum
illustre virtutis & diligentiae ponas, vide. Deum aeternum oro,
vt patrem tuum in hac viridi senectâ, non vestra tantum fa-
milie, sed & totius patriae commodo, quàm diutissimè incolu-
mem conseruet. Ripis Cimbricae Chersonesi, Anno Christi M.
D. LXXXII. die 20. Augusti, quo ipso die ante annos 23. so-
lenni coronationis ritu inauguratus fuit Rex. Daniae Fridericus
II. cui vt porro aeternus Deus, qui regna transfert & constituit,
vitam & regnum in multos annos proroget, omnibus precibus
nobis rogandus est.

Tui studiosiss.

M. PETRVS HEGELVNDVS
Lector Theologus abud.
Ripensës.

IN IN-